



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 162. Principes autem & seniores persuaserunt populis ut peterent
Barabbam. v. 20.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

obsidionem Ierosolymorum per Titum & Vespasianum, & destructionem, & ut non maneret lapis super lapidem, Ciuium famem, captiuitatem, crucifixionem, cadauerum tot millium iacentium sine sepultura: & hæc nuntiasse videtur Pilato per verba: nil tibi & iusto illi, passa enim sum multa hodie propter ipsum peruisum videndo illa terribilia superuentura Ciuitati Hierusalem, imò ipsi etiam Pilato, nempe accusationes apud Tiberium & relegationem, hæc inquam videndo & timendo passa est vel in somni vel vigiliæ visu, æque ac Fulvia Julij Cæsaris nocte pridie Idus Martij, quibus occisus est maritus, valuis fenestrarum repente apertis, & immisso Lunæ fulgore, & quidem multo grauiore causa illa, quam hæc Fulvia: quid enim est mors Cæsaris ad mortem Filij Dei? Ob hæc igitur meritò admonuit maritum eique cauit, sed & ipsamet pulchrè disposita fuit ad credendum in Christum Iesum filium Dei, & post Christi resurrectionem, conuersam enim fuisse penitus ait Origenes, & Nicephorus l. 1. c. 30. & ei nomen Procles inditum fuisse.

Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde! mulier hæc, uxor Pilati, licet pagana, bona erat & recti cordis secundum naturalem rationem directi, neminem lædere studebat, potius autem benefacere, ideo uisitauit eam Dominus, ut intelligeret somnians quæ Iudæi vigilantes nec credere nec intelligere uoluerunt. At Pilatus tantus Iudex & Provinciae Præses inter uxoris suæ suggestam sententiam medium sese posuit; nam intus Iesum cum uxore censebat absolvendum, foris cum Iudæis damnauit. O Domine uisita me sicut hanc mulierem, ne me apprehendat callidus tentator, maximè appropinquante somno mortis meæ: ne dicat impostor, præuolui aduersus eum, quia tu nobis factus es sempiternus adiutor.

§. 162. *Principes autem & seniores persuaserunt populis ut peterent Barabbam. v. 20.*

Quid non potest Principum autoritas, præsertim cum ad malum ducunt! maximè quando cum furore quodam agunt vel passione. Agebant autem vel maximè apud populum ut Barabbas dimitteretur, Christus perderetur quia de honore ipsorum agebatur, si Christus dimissus fuisset, nam notum factum fuisset omni populo, quod ex inuidia tradidissent eum, & condemnassent, nulla habita causa legitima. Atque ita omnem autoritatem perdidissent apud populum, & habiti fuissent iniqui iudices, qui secundum legem lapidari meruissent. ergo accusabant eum apud populum, quod esset peior ipsa Barabba, qui unum vel alterum occidisset & læsisset, sed si Christus viveret tota gens periret, insuper esset sacrilegus, diabolum haberet, essetque contrarius legi Mosaicæ. O infelix populus qui cæcos habet duces, &

Princi-